



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Sæculum X. Ab Anno 1715. inchoatum numerat Abbates duos, Januarium
& Christophorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

SÆCULUM X.

*Ab Anno 1715. inchoatum numerat Abbates duos,
Januarium & Christophorum.*

JANUARIUS ABBAS LX.

Post gesta laudabiliter varia officia, Sacrosanctæ
Theologiæ Lectoris, Cancellariæ Directoris,
Magistri Novitiorum, Prioris, & triennio Paro-
chi in Stadel-Schwartzach summo omnium gau-
dio Abbas electus est Januarius dictus Schwab,
Gerlocuriâ oriundus, electus die 4. Maji a. 1717.
confirmante Reverendis. ac Celsis. Principe Jo-
anne Philippo, Reverendissimo Domino Bernar-
do Episcopo Chrysopolitano, Reverendissimi ac
Celsissimi Episcopi Wirceburgensis Suffraganeo
Neo-Electum solemniter benedicente. Regimen
suum auspicabatur à sedula animorum & ad pie-
tatem, & ad eruditionem cultura; Disciplinæ re-
ligiosæ vigorem restaurando, & ad Universitatem
Wirceburgensem multos ablegando, qui præter
insignem doctrinam Doctorum etiam honores
retulerunt: tum ad absolvendam Monasterii fabri-
cam, quæ ab Augustino p. m. Abbate cœpta, per
annos quatuordecim omissa erat, curam suam
con-

convertens primam manum operi 8. Martii anno 1718. adjecit, octo annorum spatio tam feliciter perfecto, ut interim nec à sua in pauperes liberalitate, quibus ultra centum frumenti maldera erogabat, nec à laudabili hospites benignè accipiendi studio remitteret. Accidit tum 36. humatorum ibi Abbatum & Religiosorum corpora, & solidos duos aureos anno 1691. cusos, insignia Moguntinum & Trevirense referentes inveniri; ex quo plebs fingendi occasionem arripuit, ingentem thesaurum à Januario inventum fuisse. Latatus tam felici successu Januarius ad extruendam splendidissimè novam Ecclesiam animum ad-jicere cœpit, à quo proposito licèt sumptuum expendendorum magnitudo omnes deterreret, Januarius absterreri non potuit. Aggressus igitur magno animo tantum opus, Deo propitio Ecclesiam excitavit amplitudine suâ, altarium frequentiam artis & sculptoriæ & pictoriæ raritate augustissimis Basilicis jure comparandam; in qua ipse anno 1741. primo Missæ sacrificio peracto editæ Professionis Jubilæum celebravit; Ita votorum suorum compos factus dissolvi optans & esse cum Christo, anno Christi 1742. ætatis 74. Religiosæ Professionis 51. piè defunctus.

CHRI.

CHRISTOPHORUS ABBAS LXI.

Laudatissimum regimen suum aggressus est Christophorus, cognomento Balbus, patriâ Volcacensis die 19. Junii 1742. Illius initia perquàm gloriosa facit solennis Ecclesiæ Schwarzacensis consecratio; quam 8. Septembr. festo Natæ Virginis anni 1743. Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps FRIDERICUS CAROLUS D. G. Episcopus Bamberg. & Wirceburgensis, F. O. D. impertiri dignatus est. Suâ hanc solennitatem præsentîâ & operâ pariter illustrabant Reverendissimi Perillustres ac perquàm Gratosi DD. Suffraganei Bambergensis & Wirceburgensis; ex quibus ille altare in S. Benedicti, & aliud in honorem S. Scholasticæ, & aliud in honorem B. V. M. ab Angelo salutatæ initiavit; assistentibus semper lateri Reverendissimi ac Celsissimi Consecratoris Reverendissimis, Perillustribus ac Amplissimis DD. Abbatibus Ebracensi, ad S. Stephanum Wirceburgi, Therensi, ad S. Jacobum Wirceburgi, Præposito in Heydenfeld, ac Abbate loci.

Quàm gloriosa sunt hæc regiminis tui auspicia, Reverendissime, Perillustris ac Amplissime Domine D. CHRISTOPHORE! tam diuturnum illud tibi cum religiosa familia fideles subditi apprecantur.